

ficit. Hinc juxta Theologos, Humana Christi Natura non est imperfectior nostrâ; & posito, quod imperfectior videretur propter personalitatis carentiam, quod quidem non asserimus, ille tamen defectus aliunde suppletus fuisset, siquidem loco personalitatis humanæ, accepit longè perfectiorem ac eminentiorem subsistentiam ac nostra est, divinam nimirum. Faciunt huc aurea illa verba Thomæ *part. 3. Sum. Th. q. 4. a. 2.* inquentis: *Natura assumpta non deest propria personalitas, propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humane nature pertineat, sed propter additionē alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad Pers. div.*

§. XXXIV. Assertio III. *Non omnis substantia propriam habet subsistentiam, sed quicquid subsistit, aut propriâ subsistit subsistentiâ, aut alienâ.* Omnis quidem substantia propriam habet existentiam, ut autem propriam quoque habeat subsistentiam, non est necessarium; sed alienâ quoque potest subsistere subsistentiâ.

§. XXXV. Assertio IV. *Negatâ subsistentiâ, non negatur essentia aut existentia.* Negatō enim modō non negatur res, cujus est modus, A. Subsistentia est modus substantiæ, E. Impingunt hîc, qui statuunt, verum hominem sine subsistentiâ propriâ non dari: Humana enim natura reverâ est humana natura, etsi propria personalitas non adsit.

§. XXXVI. Assertio V. *Non quot Personæ, tot essentia.* Sic in divinis tres sunt personæ, non autem tres essentiæ.

§. XXXVII. Assertio VI. *Non quot Natura, tot quoque sunt Supposita.* A Natura enim ad Suppositum non licet argumentari, cum ad Personæ rationem formalem plus requiratur, quàm Natura. Hinc non sequitur, quia duæ Naturæ singulares sunt in Christo, humana scilicet & divina, etiam duæ in ipso erunt Personæ: Esset enim sic non unus, sed duo Christi, cum tamen de uno tantum Scriptura Sacra nobis loquatur. Si igitur Θεὸς ὁ ἰσθὺς est unus, aut est unus naturâ, aut Persona. Non est unus Natura, cum sit Deus & Homo, adeoque Divinâ & Humanâ constat naturâ, E. est unus Personâ. Et per consequens hic datur una Persona, in qua tamen duæ sunt distinctæ Naturæ.

De